



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CCXCV. Vereinigung der Suffragan-Bischöfe des Erzstiftes Magdeburg gegen eine päpstliche Steuererhebung vom 21. April 1373.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CCXCV. Vereinigung der Suffragan-Bischöfe des Erzstiftes Magdeburg gegen eine päpstliche Steuererhebung vom 21. April 1373.

In nomine domini amen. Anno a natiuitatis eiusdem millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, Indictione undecima, vicesima prima die mensis Aprilis, hora vesperarum vel quali ante cameram posteriorem castri Gypkenstein prope oppidum Hallis situati, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Gregorii digna Dei providentia Pape undecimi anno tertio, in mei Notarii publici et testium subscriptorum presentia, constituti reuerendi in Christo patres ac domini, domini Petrus Archiepiscopus Magdeburgensis, Conradus Misnensis, Fridericus Merseburgensis personaliter, Withigo Nuemburgensis, Theodoricus Brandenburgensis et Theodoricus Huelbergensis per eorum legitimos procuratores, ecclesiarum Episcopi, ipsius Archiepiscopi Magdeburgensis suffraganei, michi quandam unionis cedulam, quam tunc reuerendus in Christo pater ac dominus Dominus Conradus Episcopus ecclesie Misnensis predictus in manibus tenebat, exhibentes me cum diligentia ut super eandem unum vel plura conficerem publica instrumenta requirendo: Cujus quidem litere Unionis tenor sequitur et est talis:

Cum magistra rerum experientia legalibus hortationibus instruat aduersus ea, que verisimiliter accidunt, cautius prouidere, ne postea lamentabiliter deplorari valeant, que antea negligenter sunt obmissa. Idecirco nouerint uniuersi presentem literam inspecturi, quod nos Petrus Archiepiscopus Magdeburgensis, Conradus Misnensis, Fridericus Merseburgensis, Withigo Nuemburgensis, Theodoricus Brandenburgensis et Theodoricus Huelbergensis ecclesiarum Episcopi, dicte Magdeburgensis ecclesie suffraganei, ac totus clerus prouincie Magdeburgensis — volentes quantum nobis est possibile circa emergentia nobis et ipsi clero salubrius prouidere, ac eorum malitiam qui nobis sua aduersantur astutia simul et unanimiter extra nostros terminos procul effugare iuxta documenta canonica, que divisionem improbant, eo quod triplex funiculus difficiliter rumpitur, et virtus unita validior quam ipsa dispersa dignoscatur, ne insidiatores callidi de preuenta malitia superbe valeant gloriari, cum nos plangere forte contingeret negligenter obmissa. De expressa omnium nostrum consensu et unanimi voluntate, ex certa scientia et non per errorem, deliberationibus super hoc sepius habitis et tractatibus, simul et ad invicem nos obligauimus obstrinximus et presenti pagina firmiter obligamus et obstringimus contra venerabilem virum dominum Heliam de Vrodamo, ecclesie Zantenensis cantorem, nuncium sedis apostolice et camere apostolice collectorem, leuatorem et exactorem decime papalis nobis et prouincie nostre nuper impositae et contra quemlibet ipsorum si et in quantum in ipsa decima colligenda et extorquenda nos grauarent, seu grauare niterentur, quod tamen de intentione sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Gregorii digna dei providentia pape undecimi prodecere non videtur, in cuius et sedis apostolice obedientia persistere et manere volumus, sibi que parati esse in his et omnibus possibilibus ac sue voluntatis beneplacito parcere semper cum effectu, ita quod nullus nostrum alio dimisso seu excluso se super aliqua quota cum ipsis collectoribus seu eorum in hac parte vices gerentibus componat aut etiam aliquo modo concordet, nisi de clericorum omnium nostrorum procedat bona voluntate communibusque totius prouincie promittimus expensis defendere et releuare, ac alia agere, que occasione dicte decime leuande et extorquende dumtaxat nos vel aliquem ex nobis etiam minimum nobis subjectum contingeret sustinere. In cuius rei testimonium et euidentiam pleniorum Nos Petrus Archiepiscopus Magdeburgensis, Conradus Misnensis, Fridericus Merseburgensis, Withigo Nuemburgensis, Theo-

dericus Brandenburgensis et Theodericus Havelbergenfis ecclesiarum episcopi sigilla nostra huic instrumento duximus appendenda.

Acta sunt hec anno, indictione, die, mense, hora, loco et pontificatu quibus supra, presentibus nobili Günthero Comite in Mülinghen et domino in Barbe, strenuo domino Henrico de Bünau milite, nec non honorabilibus viris dominis Henrico de Alzleben, plebano S. Jacobi in Magdeburg, et Johanne Pruznitz Altarista B. Marie virginis in ecclesia Pragensi Baccalaureo in Decretis, testibus ad premissa vocatis et rogatis.

Et ego Gotfridus quondam Arnoldi de . . . Clericus Colonienfis publicus imperiali auctoritate notarius, quia predictorum dominorum Episcoporum unioni ac ejusdem unionis cedule presentationem ac omnibus aliis et singulis una cum prenominatis testibus presens interfui eaque dum sic fierent ut premittitur, vidi et audivi et in hanc publicam formam redigi, et per alium quia aliis prepeditis negotiis scribere feci, meisque nomine et signo solitis consignandam in affirmationem premissorum.

Nach Gerdens Fragments Marchica II., S. 73-76.

CCXCXI. Der Markgraf Otto schenkt eine jährliche Rente, aus dem Dorfe Tremmen an Meinhard Susseiner, am 6. Juni 1373.

Nos Otto, deigratia marchio Brandenburgensis etc. notum facimus tenore presentium universis, quod attendentes grata et fidelia servitia nobis per strenuum virum Meinhardum Susseiner, fidelem nostrum et dilectum multipliciter exhibita et inantea per amplius exhibenda, sibi et veris heredibus suis dedimus et donavimus, damus et presentibus sollempniter donamus proprietatem novem fructuum annuorum reddituum in censu totius ville Tremmen singulis annis derivandorum cum omnibus juribus, fructibus, honoribus, commodis, utilitatibus, gratiis, libertatibus et pertinentiis quibuscunque, sicut idem Susseiner dictos redditus a nobis in pheidum tenuit et possedit, in antea a nobis justo proprietatis titulo ad habendum, tenendum, usufruendum quiete, pacifice et sine quorumlibet impedimento perpetuis temporibus possidendum, dantes sibi et dictis heredibus suis prefatos redditus vendendi, donandi, obligandi, commutandi, legandi aut in pios usus seu in secularem vel ecclesiasticam personam transferendi plenam et liberam proprietatem, renunciantesque pro nobis, heredibus ac successoribus nostris omni juri, actioni, impetitioni, quod vel que nobis in premissis redditibus hactenus competebat, competit aut competere poterit quomodolibet in futurum. In cujus rei evidentiam sigillum nostrum majus presentibus duximus appendendum, testantibus reverendis in Christo patribus, dominis Petro Lubucensis et Theoderico Brandenburgensis ecclesiarum episcopis, nobili Friderico de Turgow, domino in Czoffna, strenuis Johanne de Rochow, Hassone de Uchtenhagen, Hermanno de Wulko, militibus, et Heinrico de Schulemburg cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Berlin anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, feria secunda in festo Penthecostes.

Nach dem Original.